

igitur seculo nostro illa gloria, sed ita tamen, ut nondum planè
liqveat, cuinam præcipuè vendicanda veniat. Siqvidem *P. An-*
tonius Maria de Reyta, Capucinus, Batavum qvendam conditio-
ne qvidem humilem, arte autem perspicilliarium Middelburgen-
sem, natione Zelandum, nomine *Johannem Lippersein*, anno hu-
jus ævi nono hoc instrumentum invenisse testatur. *Adrianus Me-*
tius autem Alcmarianus in Hollandia, & Franekerensis Mathe-
maticus, fratrem suum, *Jacobum Metium*, pro Inventore primò
venditat; cui & nos cum *B. Harsdörfero* palmam tribuemus: non
negantes interim, posse duos, pluresve unius rei esse Invento-
res. Citat qvidem *Schottus* in L. XI. Mirab. Artis c. 7. *Sirturum*
qvendam, qvi peculiare de Telescopio opusculum exaraverit, &
Petrum Borellum, qvi librum de vero Telescopii inventore con-
scripserit; sed qvia neutrum eorum inspicere nobis contigit, id-
circò B. L. indiciis judiciisq; hisce, qvando certiora aut eviden-
tiora non suppetunt, contentus erit.

(17.) Qvem Tubi Optici binoculi authorem esse, *Schottus* testatur
c. 2. Syntagm. 1. L. X. Magiæ.

(18.) Adeò ut illi, qvi 60. pedes longi sunt, jam desinant ferè esse
rariores. *Adrianus Auzutus* Telescopium qvoddam 150. pedum
Parisiensium confici curavit, referentibus id Actis Anglican.
Mens. Junii Anno 1665. §. 6. Fabricavit idem complura alia e-
gregia, invenitq; præterea rationem utendi iisdem sine tuborum
applicatione; (Ephem. Erud. II. anni 1666.) & mensurandi Te-
lescopiis majoribus distantias objectorum Terrestrium: (Act.
Angl. Mens. Decembr. 1665. §. 3.) qvòd ipsum nonnullos jam
pridem, sed parum feliciter tentasse, testatur *Schottus* L. XI. Mi-
rab. p. 857. Quid? qvòd *Hookius*, non ultimum illud Societatis
Regiæ ornamentum, in *Micrographiâ* suâ possibile esse conten-
dit, fabricare Telescopia, qvæ decem pedum millia longitudine
suâ adæqvant, qvanqvam modò laudatus *Auzutus* supra 300. aut
ad summum 400. pedes ea construi non posse probare satagat. V.
Ephem. Erud. II. 1666.

(19.) Testantur hoc Ephem. ibid.

(20.) de *Eustachio Divini* v. *Schottum* L. X. Magiæ, Synt. 1. c. 3. &
Act. Angl. Mens. May 1666. §. 6. ac Mens. Decembr. 1666. §. 6.
De *Campano* verò v. eadem Mens. Mart. 1666. §. 2. & Ephem.
Erud. I. 1665.

(21.) V.